



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Antonium Hallaeum Poetam Excellentem. Ode XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

## AD ANTONIUM HALLÆUM

POETAM EXCELLENTEM.

## ODE XVI.

**H**ALLÆ vatum maxime, quem sinu  
Matris cadentem Phœbus amantibus  
Excepit ulnis, & decoro  
Mollem animum calefecit igni;  
Quo me avocatum sensibus abripis?  
Seu tu paterni criminis integros  
Cantare conceptus; & anguis  
Excidium celebrare gaudes,  
Sub prima vitæ limina noxio  
Mentes veneno tingere callidi;  
Doctoque defunctum duello  
Mille caput redimire lauris:  
Seu garrientum non levioribus  
Modis retractas carmina ædonum,  
Irasque, amandos & furores,  
Cantibus & mediis relictos  
Non indecoro funere spiritus,  
Vocemque vel post fata superstitem:  
Tu fabulosi vincis Orphei,  
Judice me, teneros lepores.  
Quanquam ille blandus tigribus asperis  
Mollire tactâ pectora barbito:  
Virisque præreptos canendo,  
Cautibus ingenerare sensus.  
Et me eruditi gloria carminis,  
Hallæ, mulcet: me juvat avios  
Tentare Musarum recessus  
Te docilem moderante gressum.

Y

Quod si haud recusas me juvenem senex  
 Dixisse amicum ; pectore si sacro  
 Admittis : immortale nectar  
 Ducere cum superis videbor.

AD SANTOLIUM VICTORINUM.

*Æterna esse præmia poetarum qui Latine scribunt.*

O D E XVII.

**N**ON, si carmina Gallicis  
 Apte juncta modis , ingenî & artium  
 Idem cultor & arbiter  
 Colbertus meritis muneribus fovet ,  
 Romanæ , ut quereris , lyræ  
 Omnis continuo laus perit & decus ,  
 Santoli. Neque præmia  
 Illum deficient , Virgilio duce ,  
 Versus per similes tuis  
 Quandoque Ausonia qui recinet tuba.  
 Nescis ut patrio novam  
 Sermoni faciem quæque ferat dies ?  
 Nam quas nunc misere anxius  
 Scriptor quærere amat delicias , brevi ,  
 Usus si volet insolens ,  
 Spretas rejiciet non sine nausea.  
 Ronfardus male barbaro  
 Molles auriculas murmure vulnerat ,  
 Dictus Franciacæ pater  
 Linguæ. Quis modo non unius æstimet  
 Assis vendita millibus  
 Terdenis opici carmina Portei.